



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den
Antverpiæ, M. DC. XLV.

Resp. I. De exercitio pontificalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

De excessibus prælatorum.

RESPONSVM I.

De exercitio pontificalium.

1. Non licet extra diocesis nisi ex consensu diocesis.

2. Ne quidem in loco exempto.

3. Sed si sit nullus diocesis licet.

4. Ne quidem viciniore nisi de licentia prælati loci.

5. Nec suffraganeo de functo Ordinario, nisi de licentia Capituli.

Episcopus in aliena diocesi cuiusvis privilegij pretextu pontificalia exercere non potest, nisi de Ordinarij loci expressâ licentia; & in personas ei subiectas. Conc. Trid. s. 6. c. 5. non ergo sufficit autoritas Patriarchæ, vel Metropolitanæ, nec facultas Papæ generalis promovendi à quocumque. c. 11. s. 7. Trid. quo casu nec simplicem Ordinarij licentiam, sed vicariam subrogationem quidam exigi volunt, per illa verba, *aut pro eo pontificalia exercente*. quare nec in loco exempto pontificalia exercere licet. ne quidem ex consensu prælati exempti, nisi & adit Episcopi, intra cuius fines est locus exemptus. nisi sit nullius diocesis. quando neque viciniore Episcopus id potest. quamvis ibidem secularia ab eo visitari possint. ex c. 9. s. 24. Concilij Trid. eoque nec Episcopus in loco, qui nullius sit diocesis, semel in Concilio provinciali à prælato illius loci electus, utique ad effectum de quo in d. c. 9. extra quem nec viciniore; nec sic electo est inuito prælato facultas concessa. quare & suffraganeus, qui pro defuncto Episcopo pontificalia exercuit, cuius per mortem ea facultas expiravit, iam sine consensu Capituli pontificalia exercere non potest. nec, cum ex eius consensu, intra primū annum Ordines conferre. Trid. s. 7. c. 10. c. 10. s. 23. sed neque eam licentiam Episcopi vicarius dare potest, in vim commissionis generalis; cum hæc tam specialibus notis per canones communes, & Tridentinos insigniantur. *Barbos. in Collect. DD. ad Conc. Trid. s. 6. c. 5.*

Dixi, pretextu privilegij; quo nec Archi-Episcopus pontificalia potest exercere; sed ex iure communi pontificalia permittuntur Archiepiscopo visitanti. *clem. fin. de priuil. c. romanus. de cens. in 6.*

Quod autem aiant nec Nuntios in ecclesia Archiepiscopi sine eius licentia debere pontificalia exercere, citati à *Barbos. ubi sup. n. 18.* magis existimo honestatis causâ dici, nam ferè sunt cum facultate legati, qui est in sua provincia etiam Ordinarius. c. 2. de off. deleg. in 6. d. autem c. 5. loquitur de Episcopo in alterius diocesi existente. Legatus autem per totam suam provinciam non censetur esse in aliena diocesi; imò superat diocesanum. & propterea ubi concurrunt, debet diocesanus in illius præsentia induere mantelatum, & obscurare rochetum.

Pontificalia exercere inquit Concilium: quare satis problematica est quaestio an nec missam celebrare Episcopus in pontificalibus possit; utique cum mitra & baculo; & latè citat *Diana p. 3. tract. 6. miscel. r. 36.* utrimque auctores, & quia clementina 2. de priuil. celebrationem Pontificalem etiã tantum intra diocesim permittit, magis probabile est & missæ celebrationem d. c. 6. prohiberi. tametsi verba Concilij de ordinibus singulariùs videantur loqui. cum adiungunt & ordinatorum fore suspensos. non videtur tamen ubique quoad pœnam suspensionis ex sola celebratione esse certo vsu receptum. Sed & abbates pedo & mitra insigniti tantum in ecclesijs suis, seu pleno iure sibi subiectis, post sollempnem missam, aliaque divina à se celebrata; populo sollempniter benedicere possunt. c. *abbates. de priuil. in 6.* alio cebrante ipsi id præstare non possunt, nec alibi; sed neque tunc sibi constituere cappellam, seu vti pontificalibus, *silvius in Resol. p. 1. V. Abbas. IV.*

6. Licet Archiepiscopo visitanti.

7. Et Nuncio in sua provincia.

8. An pontificaliter celebrare extra diocesim licet?

RES.